



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

§. II. Proponuntur caussae naturales & internae scrupulorum, eorumque  
ortus & varietas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

rumque innocentissimæ vitæ sint qui tam molesto morbo cruciantur; neque aliunde quidquam peccent, nisi quòd de salute animæ, honestique ratione in omnibus obseruandâ, haud parùm plus quàm oportet aut exigitur, imprudenter sint solliciti. Neque tamen ægritudinem hanc, animi, inquam, ad virtutem aspirantis tantam defatigationem obuenire, Deo permittente & amicorum suorum molestias dissimulante, quisquæ à miretur. Habet sanè facti sui rationes Deus, quas non difficile admodum erit conjicere. Sic & familiarium sibi, sanctissimorumque hominum corpõra, patitur cum grauissimis morbis, doloribusque consistari; sic & à Dæmonibus nonnumquam penitus corripitur, ut in energumenis est manifestum. Quid ergo mirandum est, ubi totum corpus possideri à malo Dæmone patitur Deus, etiam eum quandoque permittere, ut pars aliqua cerebri, uti in scrupulosis fit sæpissimè, à Diabolo infestetur? Hoccinè sit in scrupulis inquires? sit profectò, ut mox dicam.

Videamus itaque an tanto malo parabilis non sit medicina. Et ut ordine bono procedat res, istud indagandum est primò, quæ morbi tam importuni causa sit, & quæ tandem sint criteria aut signa, per quæ, an quis eo correptus sit, liquidò possit discerni.

## §. II.

*Proponuntur cause naturales & internæ scrupulorum, eorumque ortus & varietas.*

10. **D**VO sunt capita, ad quæ omnis scrupulorum scaturigo facilè reducitur. Aliquando enim extrinsecus allabuntur, aut etiam imprimuntur vi: aliquando autem ex ipsomet homine pululant, & scaturiunt quasi ex fonte interno & domestico. De hoc, primo loco agendum est. Istud enim apud Theologos, & verò etiam experienciâ passim constat, ex ipsâ corporis, cerebri, sanguinisque temperie scrupulos enasci sæpissimè; aut si exinde nati non fuerint, faciliùs tamen arripi, altioresque radices agere, prout varia fuerit humorum temperies, cerebrique constitutio.

*Scrupuli oriuntur primò ex humore melancholico,*

Et primò quidem satis constat, melancholicum humorem scrupulis generandis fundum præbere fertilissimum, iisque fovendis materiam aptissimam subministrare. Nam ut passim melancholici ingenio acuti sunt, genio suspicaces, & rerum quas apprehenderint imprimis tenaces: hinc in omnem mali suspicionem sunt projecti; rationes etiam minimas volunt perscrutari, & non facile patiuntur sibi ab aliis satisfieri; neque verò etiam ratiocinationibus ipsimet suis acquiescunt. Cùm autem tenacissimæ præterea sint phantasia, quidquid eâ apprehenderint, quasi manu constrictâ retinent, nec id aut elabi, aut vi rationibusque extorqueri sibi facile patiuntur.

11.

*Qui sapè superbia immiscetur.*

Pœnit me ferè hæc protulisse. Timeo enim ne quidam fortasse, ingeniosos esse homines qui scrupulis agitantur dum intellexerint, prout non parum arrogantia scrupulis nonnumquam immiscetur, scrupulosos sese confestim sint jactaturi, ut ingeniosi & acuti hominis venentur famam. Prout cuidam contigit; qui cùm hemicranii dolores, ingenii præacuti signum esse euidens, inaudisset, proximo mox die intolerandam sese hemicranii pati intemperiem, apud obuium quemque magno gemitu deplorabat. Neque tamen rogatus quâ parte capitis dolor ingrauesceret, satis cautè poterat discernere, quam plagam capitis hemicranii dolor soleat occupare, anticam an posticam, an verò quæ tempora circumstant dextram aut sinistram. Risum omnibus mouit affectata ingenii fama, & intempestivæ arrogantia præensus capitis inanis dolor. Ita credo, imò scio nonnumquam fieri, ut nonnulli nescio quam ingenii captantes famam, opinionibus suis plus æquo mordicus adhæreant, sanè consulentium rationibus intercedant. Importunum profectò hominum genus, nec facile quod sit curatu. Scrupulis enim gaudent insistere, modò sibi aliisque videantur ingeniosi & acuti.

12.

*Melancholici peritnaes conscrupulorum admodum tenaces.*

Verùm si rectè attenderint, non id dixi, scrupulis idè tantùm melancholicos præ aliis patere, quòd perspicaci sint ingenio; nam & sanguineis sua non deest perspicacitas; sed quòd ingeniosi cum sint, etiam sint suspicaces & iudicii tenaces admodum. Nam cùm melancholicus humor, terreus planè sit & viscosus; hinc fit ut phantasmata, quæ in cerebri ventriculo, quasi rerum sigilla, huic humori imprimantur, illi inculpantur viuaciùs, tenaciùs inhæreant, neque

13.

neque facile obliſerentur aut diſſuant. Hæc verò phantaſmata cum pertinaciter imaginatiuæ potentia obverſentur, hinc ſit vt ſi ſcrupuloſ, falſatumue rationum imagines melancholicus humor apprehenderit, iis etiam pertinaciter inhæreat hominis melancholici turbata mens; nec à ſemel concepto phantaſmate ſeſe patitur amoueri.

14. Atque hæc demum ratio eſt, cur melancholicum iſtud acutumque hominum genus, non tam vario ſcrupulorum genere, quàm aut vno aut altero ferè diuexetur. Vni enim phantaſmati, & quidem ob viſcoſitatem humoris cui impreſſum eſt, admodum lento & pertinaci, cum inhæreat, illudque ferè ſemper ante oculos oberrret, non libet ad alia phantaſmata mentem aduertere, vno hoc quod ſemper præſens eſt, plus nimio occupatam.

Melancholici ſere circa rem vnam ſunt ſcrupuloſi,

15. Iſtud tamen etiam fatendum eſt, longè grauiores tetrioresque eſſe melancholicorum ſcrupuloſ. Cum enim humori atro & fuliginolo impreſſa ſint rerum ſimulacra quæ phantaſia dominantur, hinc etiam maiorem ſui metum iniiciunt. Tetrioremque ſpeciem ſui dum ingerunt, omnia etiam ſuprà verum extollunt; & quæ metuenda miſimè ſunt, faciunt eſſe horriſica. Sic ſanè ſi nulum niſi nigrum colorem Angelo depingendo admoueas, ſpeciem inamænam planè & dæmoni non abſimilem pinxeris, horrendamque imaginem exhibueris Angeli oppidò placidi & amœni.

Et ſcrupuloſis vexantur triſtoribus.

16. Pluribus magisque diuerſis, quamuis non tam pertinacibus ſcrupulis patet phlegmatica, pituitoſa & aquea ſanguinis in humano corpore temperies. Atque hæc eſt altera ſcrupulorum origo, aut potiùs ager ſcrupulis excipiendis iis que educandis perquam commodus. Et ratio quidem in promptu eſt, eaque duplici ex capite.

Secundo ſcrupuli inſeruntur humori phlegmatico.

17. Primò enim iſtud ſatis conſtat, phlegmaticoſ aqueoſque homines, naturæ frigidioris cum ſint, timori, & puſillanimitati plerumque magis eſſe obnoxioſ. Cum enim ſanguis torpidior eſt & ſæculentior, non tam aptum aut cordi aut cerebro alimentum ſuppeditat, ex quo eliquentur puriores illi acutioresque ſpiritus, qui nervis vires, organis viuacitatem, ſuamque membris omnibus acrimoniam præſtent; vnde tamen omnis exiſtit & in agendo viſ, & in aggrediendo audacia. Lenti verò cum ſunt ſpiritus, & porrò frigidi; conſtringitur cor, & ad primam mali ſpeciem

Quia humor ille facit timidi.

ciem despondetur animis, totaque corporis symmetria, si non evertitur, saltem lentescit. Timidi sunt itaque phlegmatici naturæ ingenitæ temperie; & quia timidi, facile timenda sibi fingunt, & minimâ etiam terrentur horridi specie. Araneam si conspiciunt, aut mutem, aut felem luridiorem, illicò contremiscunt, non secùs ac si spectro infestarentur diabolico. Si nox ingruerit, ad minimum exhorrent fenestræ strepitum, aut venti sibilum: ex inferis adesse genium suspicantur, ac denique iis commouentur seridò, quæ aliis cierent risum. In hos autem si incurrant serupuli, aut peccatorum umbratica simulacra, tum verò videas hæc ab iis, utpotè timidjs, faciliùs apprehendi, constringi etiam fortiùs, foueri pertinaciùs, totaque mente imò & corpore eos vehementiùs trepidare, quàm res obiecta aut ratio postulat.

*Deinde  
quia hu-  
mor ille  
species ve-  
ras rerum,  
excolit, al-  
terat, &  
evertit.*

*Secundò*, istud etiam, præter timorem, vitii secum fert, is qui corpori prædominatur humor aqueus & plegmaticus; quod species rerum ad phantasmum allabentes, plurimum alteret, in peius deflectat, supra verum extollat, & non rarò etiam penitùs evertat. Hinc res non apparent prout sunt, sed scæliores & difformiores, prout eas humor tetrior ad phantasmam euntes infecerit. Id quidem intelligere est perfacile, si ad ea quæ oculis percipimus, mentem aduertimus. Solèm aspice; & si nubes densior, species à Sole defluentes infecerit ac reiregerit; tum & candorem amittet Sol illicò, & solitam quàm in oculi retinâ occupabat magnitudinem. Hinc est quod in ortu & in occasu, cum plurimæ horizontem oberrant fuligines, & longè quàm in meridie Sol maior appareat, & colore ultra quàm par est rubicundiori, colorem variant in nube infectæ species: magnitudinem superaddunt refractæ. Vtrumque tamen falsò, & mero nubis vitio. Non minùs familiare est hoc quod subnecto experimentum. Atrium plenum fumo sit, qui è lignis cariosis excitatur, aut ut experientiâ magis ad manum sit, ex sulfure. Videbis illicò circumstantium vultus pallido luridoque colore suffusos; quinimò, quod visu est tetrius, gracili & oblongâ figurâ scædissimè extendi. Quod quidem longè fiet euidentiùs, cum aspicientis oculi, acrimoniâ sumi, incipient intumescere & in lachrymas ire; tum enim circumstantium ora, spectra videbuntur & monstra, quantumcumque ea natiùs decoroptimaque symmetria com-  
mendat-

18.

ε β α.

mendat-

mendabat. Vitiata sunt nimirum tinctaque sulfureo fumo rerum species; & aqueo qui oculos suffundit humore penitus fracta & alterata, tam enormem inducunt rebus, etiam speciosissimis, varietatem.

19. Simili ferè modo, in cerebri ventriculis alterantur species phantasmatum, & in alienam prorsus abeunt formam, quibus cerebrum pituitosum est, & phlegmaticis vaporibus plus nimio occupatum. Id quidem, quantumcumque vana dicantur, somnia nos clarè docent, & non ex vano. Confusiora & magis distorta, atque idèò magis horrida sunt, quæ cum somnus propè medium cursum obtinuit, phantasiæ occurrunt, quàm ea quæ sub auroram orchestram subeunt, partesque suas agere incipiunt, cum somnus in deuexo est, & propè metas tenet. Tunc enim morà longà decocti ferè sunt & defæcati vapores, quos stomachus, cerebro alimentum daturus, per noctem submiserat; qui pauculis ante horis, crassiores cum essent & magis densi, in turbines agitati, totum cerebri inuoluebant atrium. Hos autem vapores & fulgines necessariò penetrare cum debeant corporeæ rerum species, quæ ad phantasiam deuolutæ somnia instituunt; necessariò etiam, leuissimæ cum sint, dum in hos vapores impingunt, distorquentur, trepidant, vacillant, abeunt, redeunt, ut manifestum fit in aquâ, quæ in gyros agitur, vultum suum intuenti. Quàm verò distorta, & quàm à se diuersa apparet species à turbato fontè repercussa? Sic sanè & in somniis fit, præsertim nocturnis. Matutina enim ob vaporum tenuitatem, & æqualitatem partium, rebus quas exprimunt magis sunt conformia, ac proindè minùs terrificæ. Nocturna verò, non res integras prout sunt sed modò hanc, modò aliam partem exprimunt. Et si homo in phantasiæ scenam est producendus, modò caput prodit, modò pedes, modò pectus, modò distortum os, modò oculi oblongi & defultorii, prout species vaporibus infringuntur; & sic non jam hominis, sed monstri figura & quidem horridi representatur; adèò tamen implexa, ut sanum de re visâ iudicium ferre non possit.

20. Patet igitur nunc liquidò, quid causæ sit cur phlegmatici, horribilibus rerum simulachris turbentur tam de facili. Vaporibus enim & quidem densis admodum confectum cerebrum circumgestitant, quibus sinceræ rerum species alterantur. Jam verò cum,

*Explicatur quomodo physicè id fiat.*

*Somnia que circa mediam noctem contingunt, horribiliora sunt plerumque quam matutina.*

cum, ut antè dixi, homines hi sint naturâ admodum timidi, numquam timor illos corripit, quin vapores tetri cerebrum subeant, illud turbent, ac timoris causam, quæcumque ea demum fuerit, longè supra verum exaggerent.

Timidus  
& serupulo-  
sus fingit  
sibi timores  
ubi non sunt.

Quid, quodd & timores sibi fingunt, ubi omnia tuta sunt? Hoc sanè timido proprium est & serupuloso. Sic quibus glis horrori est aut nigra felis, si fortè sub mensam aut secretiori in angulo panni nigri frustulum videant, aut exusta chartæ futiles corrugatasque reliquias, illicò felem vident, aut glirem, præsertim si nox concubia, aut loci solitudo metum augeat. Tam sanè, quod facetum est maximè, totam ex certis combustæ chartæ lineamentis sibi depingunt gliris speciem & figuram; isthic caput, isthic auriculas, isthic pedes, isthic si placet caudam bene longam sibi formant. Quinimò, uti metu, in timido agitantur, omnes, non tantum corporis artus reliqui, sed & cerebri in quibus hæ species formantur ventriculi, ita & species ipsæ falsi gliris mouentur cum cerebro & affluunt; idque tam clarè & viuaciter, ut glirem ipsum in angulo sibi visum esse, ambulare, & subsilire, juramento etiam deposito, ausi sint quidam ex hoc hominum genere affirmare, cum tamen non esset quidquam nisi combusta charta.

21.

Exponitur  
modus sibi  
fingendi ti-  
mores ex  
Aristotele.

Quid agas hisce hominibus? timidorum hæc sunt figmenta, & vigilantium insomniæ. Quod enim Poëta rectè de vnâ animi affectione dixit, *Nescis, Pan qui amat ipsi sibi somnia fingunt*, non amor tantum sed & Timori præclare conuenit. Figmenta sibi obtrudit timidus, & in somniis sese decipit, etiam cum vigilat. Perbellè rem hanc disputat & exponit Aristoteles, quam etiam eius verbis dilucidis, exponere erit operæ præteritum non poenitendum. *Quando, inquit, jam in passionibus existimus, facile decipimur circa sensus. Et qui est in passione timoris, etiam à modicâ similitudine videtur sibi hostes videre; & qui est in amore, videtur sibi videre dilectam. Et tantò facilius quisque decipitur, quantò in huiusmodi passionibus magis fuerit. Sicut & febricitantes interdum animalia vident in parietibus, à modicâ similitudine linearum compositarum. Et huiusmodi apparentiæ aliquando ita intenduntur, ut si quis vehementer non laborat, facile aduertat quod sint falsæ; si verò passio sit maior, omnino decipiatur, & ad illa etiam moueatur. Ita Aristoteles. Non poterat festiuus exponi hæc*

22.

Virgil.

Aristot. l.  
de somn.  
c. 2.

0x

hæc materia; neque scrupulosi timoris, omnia præter verum fingentis & exaggaientis natura, elegantius explicari. Timent omnia, etiam peccatorum simulacra; & sic sibi fingunt omnia quæ terrorem faciunt. Si prima tantum sese obiciant sceleris, ut sic dicam, linamenta; illico sibi scelus effingunt & quidem terrificum, ac longè maximum. Omnia phantasmata & motus primi, deliberati ipsis consensus sunt; nusquam non occurrunt animo, infestus iudex, & sceleribus tantis debita tormenta. Sic sibi infernum mente fabricant, & ex timore falso, veros sibi & immo-dicos dolores faciunt. Atque hæc quidem omnia ex phlegmaticâ cerebri compactione ducunt exordium. Vaporibus enim distorquentur species, quas timor ipse subministrat, exagitat, atque ita peruertit, ut verum inter & falsum quid intersit, nequeant discernere; neque motus primos à deliberatis, neque desideria à peccatorum repræsentationibus, neque voluntatem denique ipsam à phantasmatis iudicando queant separare.

23. Hinc fit *Primo*, ut in morbis, crescant anxietates & scrupuli. Augentur enim aut certè ægritudinis acrimonia mouentur vapores, & conglomerantur in vortices; & rursus morbi præsentia acuitur ingentis timor. *Secundo*, corporis compactionem si spectes, distortis hisce phantasmatis plurimum obnoxia sunt scemina, atque adeo & scrupulis. Cum enim tota ipsis cerebri corporisque temperies phlegmatica sit admodum, quæque in pituitam prorsus degeneret, facile dum ad phantasmata rerum obiectarum simulacra penetrant, inficiuntur species vapore lurido, & distorquentur. Et rursus quia timida, ipsas timoris causas in immensum augent: tantosque sibi angores faciunt, ut non tantum vera à falsis non discernant, sed ne quidem satis ipsis persæpe constet, an vigilent an verò somnient; id est, an res ipsas persentiscant, an deprauata fictaque ab intemperato cerebro rerum simulacra.

24. *Tertio* tandem patet, cur phlegmaticorum scrupuli, varii plerumque sint, desultorii, quique per omnia facile vagentur scelera, neque vni materiæ nisi pauco tempore, & per intervalla pertinaciter adhereant. Aqueis enim corpusculis impressa cum sint quæ metum faciunt simulacra, facile etiam diffluunt, præsertim alio subeunte ex alio. Et rursus etiam quia natura sunt timidi, nulla prorsus est materia, ex qua sibi quæ horro-

E e rem



tem incutiant, quantumvis fanaticum, non effingant. Atque hæc secunda est scrupulorum causa, & quæ latissimè pervagatur.

*Tertia causa interna scrupulorum, peculiaris cerebri, aut totius, aut aliquâ in parte intemperies.*

*Hac autem sæpè est à nimia attentione, aut abstinentiâ.*

*Multi ex his in vno tantum scrupuli genere insanunt.*

*Vnae hoc fiat exponitur.*

*Tertia* denique scrupulorum causa, non tam ab humorum toto corpore diffusâ intemperie, quàm ab ipsius cerebri læsione particulari est petenda. Sicut experienciâ satis constat, aut morbo aut etiam vulneris violentiâ, nonnumquam ita disturbari cerebrum, & eneruari, vt non satis sese, ad percipiendas quæ per sensus allabuntur res, queat explicare: vnde mens ipsa ita destituitur, vt nihil ratione bonâ statuat, aut diiudicet. Ita & attentione nimia, dum ad res sacras, diuinorumque contemplationem animus applicatur; aut etiam dum nimia abstinentiâ corpori humor, cerebro autem subtrahuntur spiritus; dissoluitur organi symmetriâ, neque sibi, iudiciisque formandis satis sufficit eneruatus animus. Hinc phantasmatis aguntur omnia: & quidem malè cohærentibus, & in ridiculum consarcinatis modum.

Rursus id euenit sapissimè, vt quibus sic ceritum est caput, & non nisi helleborò curabile, vno tantum dementiæ laborent genere. Regem sese esse sibi fingit vnus, & nil nisi regiam spirat maiestatem, quod regis nescio cuius fanaticum simulacrum ad valuas imaginatricis cellulæ, pertinaci visco impressum, differtèque expressum adhæreat, totamque in se imaginatiuæ potentiam trahat aciem. Hinc nil nisi regem spirat, nil nisi sceptrum loquitur & coronas; nihil enim nisi quod regium est, imaginationi obiicitur. Et quia phantasmatis tantum regitur dementis animus, hinc nihil nisi regem aut agit aut sonat. Non aliter in quibusdam agitur, quibus attentione nimia, aut studio, aut abstinentiâ contractum est aut læsum cerebri organum. Sæpè non nisi vno scrupuli genere laborant, sed acri admodum & tenaci. Nonnullos quæ Fidei mysteria concernunt; alios quæ iustitiam spectant; hos quæ Confessionem, illos quæ Communionis sanctitatem reuerentiam que debitam concernunt, vrunt acerrimè; ea pene semper obuoluuntur animo, stultissimisque irretiunt modis. Hic hæret ipsis aqua & iudicium; ad cætera tamen diiudicanda satis expediti. Quid dicam vt ab his me expediam, nec tamen malâ gratiâ? Sanè aut in vnâ capitis parte non satis sibi constare quod læsum est cerebrum, omninò dicendum

25.

26.

endum est: aut certè, dum varia timore concitante, per phantasiae cellulas & cerebri ventriculos discurrerent peccatorum simulacra & phantasmata, vnum fortuito casu, validius in cerebri substantiam imegisse, & viscoso melancolicoque humori impactum inhæsisse, ibique cæteris phantasmatis diffugientibus fixisse sedem: isthic ab imaginatiuâ virtute semper conspicitur, indeque fieri, vt mens ad idem, quod sibi semper præsens est, peccati trepidet simulacrum; aut etiam ad alia, quæ tamen huic quod phantasia primò læsit, sunt similia eiusdemque generis. Hinc fit vt qui semel in restitutione faciendâ aut factâ, à scrupulis ingentem passus est cerebri labem, eandem etiam passurus sit in omnibus quæ restitutionis materiam spectant. Accurrunt enim illic species eiusdem genii & generis, cum vnicum sibi simile phantasiae dominari persentiscunt, totumque exinde ambiunt cerebri dominatum.

*Qui uno scrupulo laborat, illico laborabit in finis eiusdem speciei.*

27. Atque hæc fere sunt, quæ ex ipsâ corporis compactione & internâ cerebri compositione existunt scrupulorum causæ, aut si ita vis scrupulorum potius fomenta. Fateor quidem inter alias huius morbi causas, ignorantiam à Theologis quibusdam annumerari. Verùm qui ex incitiâ oriuntur, propriè dicti non sunt scrupuli. Errores sunt, & scrupuli dicuntur, sed impropriè; nos autem de meris scrupulis nunc agimus. De erroribus enim Tractatu 3. actum est satis. Errores autem si fuerint quibus laboratur, facillè eos erit deponere, cum de rei veritate patientur sese modestè instrui. Id autem facillè patientur, si phantasmatis non agantur. His autem si inhæreant prætracte, etiam postquam errorem dedocti fuerint, tum verò fateor incitiâ & errorem, in scrupulos degenerasse; neque eos posthac ignorantiam, sed veris scrupulis laborare.

*Aliquando ignorantia degenerat in scrupulos.*

### §. III.

#### *Proponuntur causæ externæ scrupulorum.*

28. PRÆter has quas exposui scrupulorum scaturigines naturæ infirmitas, fateor nonnullas esse extrinsecus aduenientes causas, per quas aut seminantur scrupuli, aut si quæ fortè animo insper-

*Causa externa scrupulorum.*